

De
eximia civium Arnstadtensium in scholas pietate.

O r a t i o

Die XXIV Mensis Decembris Anni MDCCCXLIII

In Auspicando

BENEFICIO ALEXANDRINO,

Quo

Gymnasium Arnstadtense

Cumulatum Adauctum Ornatum Esse Voluit

Summa Pietate Ductus

Christianus de Beck,

Vir Illustrissimus Excellentissimus A Consiliis Secretis Augusti Imperatoris Russici, Plurimorum Ordinum Insignibus Splendidissimis Decoratus etc. etc.

h a b i t a

a

Carolo Theodoro Pabst,

Phil. Doctore Gymn. Arnst. Directore.



Arnstadtii

Typis Ohlenrothianis.

MDCCCXLIV.

1844

ARNS
2 (1844)

83,6

*Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri
sui ac doctores, cui non locus ipse mutus ille, ubi altus aut doctus est, cum
grata recordatione in mente versetur.*

Cicero.

V i r i

Illustres, Summe Venerandi, Spectabiles,
Munerum, Honorum, Meritorum Splendore Amplissimi,
Collegae Conjunctissimi,
Discipuli Carissimi,
Auditores Omnium Ordinum Benevolentissimi.

Ad orationem apud Vos habendam hodierno die, quo nunquam antea, inde ab incunabulis gymnasii nostri usque ad nostram memoriam, oratio habita est sollemnis, non vocor neque lugenda morte acerba et tristi vel discipuli cuiusdam optimi, vel collegae carissimi, qualis, prohi dolor, anno proximo 1) nos summo luctu affecerat; neque omnino res est aut laeta aut moesta, quae nobis hoc uno die atque semel sit aut laudibus efferenda aut lacrimis prosequenda: sed, quum per omnes annos, quibus et Deus Optimus Maximus et Princeps Serenissimus scholam nostram tueri et conservare volent, hoc ipso die et mihi et collegis alternis erit dicendum, plane novam ac singularem me impellere causam, ut ex hoc loco, in Vestro consessu et conspectu verba faciam, quivis unus conjiciendo facile persequetur.

Quid dicam conjiciendo? Nonne pervulgatum est ore civium, nonne urbe hac tota sermone precrebuit, Virum Excellentissimum, in hac urbe ortum, amplissimis honoribus apud exterarum nationes ornatum, summa pietate et liberalitate permotum, quum nuperrime patriam, propinquos, amicos revisurus per paucos dies inter nos versaretur, beneficia in nostram scholam contulisse, quae sint ad coelum tollenda laudibus verissimis ac justissimis 2). Quum tamen ad hanc Viri illius praeclarissimi pietatem et liberalitatem accedat

summa in eo verecundia, quae nolit publice laudari et praedicari, quumque mihi non id summam neque arrogem, ut talem virum a me dignis laudibus ornari posse putem, ad aliam orationem transire mihi liceat, non illam quidem alienam ab hoc loco, ab hoc tempore, sed aptissimam, quae hodierno die audiatur, quaque mandatum mihi a Venerando Collegio Scholastico apud Vos dicendi munus me optime exsecuturum mihi videor, dummodo, quae parum latine limatque dixerō condonare mihi volet Vestra erga me benevolentia, meaeque in dicendo facultati perexiguæ in Vestra indulgentia erit praesidium constitutum.

Benignas mihi, rogo Vos, praebeatis aures; non enim est timendum, ne Vobis, qui mihi gravem illam quidem at jucundam tamen publice dicendi necessitatem imposuistis, quorumque mihi benevolentiam conciliare eupio, importune fastidium moveam argumento quodam ex artium literarumque penetralibus deprompto, contra in populari argumento polliceor omnem meam orationem versaturam esse. Etenim in ejusmodi orationibus, quales quotannis habendae sunt in nostra schola ad memoriam mulierum et virorum de nobis optime meritorum recolendam ³⁾, id spectandum esse judicavi semper, hodieque judico, ut argumentum deligatur populare, peryulgatum, de medio petatum atque ab omni doctrinae subtilioris ostentatione remotum. Jam vero bonum habeatis animum e Vobis peto, etenim

non hic Vos carmine longo

Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Dicam enim: De eximia civium Arnstadtiensium in scholas pietate. Qua quidem materia haud scio an nulla sit magis apta et consentanea, quae hodierno die tractetur, nulla quae majorem habeat vim ad animos discipulorum imbuendos pietate, quam virtutem unam omnium Cicero judicat fundamentum esse ac matrem quasi et procreatricem reliquarum virtutum. Ad hoc autem propositum mihi priusquam aggrediar, id mihi credo esse faciendum, ut primum, quid sit pietas, explanem, deinde, quo ex fonte profluat illa virtus, qua nihil amabilius nec dulcius a deo hominum vitae datum est, brevitate qua potero ostendam. Quibus explicatis id me facile consecuturum esse spero, ut, non dicam Vos, Viri Illustres, Amplissimi, sed tirones nostros doceam, quanta sint laude digni hujus urbis cives, quanti sit aestimanda eorum pietas. Iter orationis meae quod sit videtis, jam Vos oro rogoque,

Si fert ita corde voluntas,

Me duce carpite iter, facili vos tramite sistam.

Pietatis vocabulum latissime patere ad plurimosque pertinere, quis est Vestrum, qui veterum scriptis tinctus hoc ignoret? Est hominum aetas nulla, nullus ordo, nulla denique inter mortales communitas societasque, in quam pietatis virtus cadere nequeat. Egregia pietatis exempla sempiternae memoriae prodiderunt et veteres et recentiores scripto-

res, servorum erga dominos, clientum erga patronos, liberorum erga parentes, civium erga patriam, hominum erga deos, ex quo latissimo hujus virtutis ambitu, quae sit ejus vis et natura, conicere nobis licet. Pietas 4) enim est communis omnium sensus, atque insitus quidam nobis atque ingeneratus amor erga eos, quibuscum conjuncti sumus aut dulcissima commendatione naturae, aut justa necessitudine familiaritatis, vicinitatis, aut maximis beneficiorum vinculis. Ea est virtus pietas, qua violata contra naturam ipsam peccatur, neque scelus solum sed etiam nefas committitur, quod satis argumenti videtur esse, constitutam esse pietatem non opinionum commentis, quae delet dies, sed naturae legibus, quae sunt aeternae, et aequales coelum atque terras tuentis et regentis dei. Quem sensum communem, quem amorem quam artissime cohaerere censuerint veteres cum reverentia adversus deum, ex eo patet, quod pietatem nominabant justitiam erga deos 5), et quod pietas cum deorum cultu et rebus divinis maxime conjuncta iis esse videbatur. Quae si recte judicantur, ut mihi quidem videtur, pietatem a reverentia adversus deum ducendam esse, optimo jure statuendum est.

Atque est sane ita. Sicuti verae ac solidae sapientiae initium est timor dei, quae vox est regis illius sapientissimi, sic eundem cum omnium virtutum tum pietatis esse caput et fontem recte putamus, et tum maxime pietas versatur in hominum animis, quum rebus divinis studiose dant operam. Cujus rei testes habemus locupletissimas et populorum historias et virorum mulierumque pietate insignium vitas. Etenim quibus seculis religio plurimi aestimabatur, quibus deum colebant homines non ore solum et labris, sed toto eum animo, toto pectore ut dicitur, amplectebantur, quibus templa frequentabant non more ducti et consuetudine, sed quasi divino quodam afflatu incensi, et acerrimo divinarum rerum desiderio incitati, iisdem seculis pietas maxime colebatur et exercebatur; et qui viri a teneris annis dei timore imbuti erant, iidem pietatis sempiterna testimonia posteris reliquerunt imitanda et persequenda.

Quae quum ita sint, quod nostris temporibus rara sit pietas mirari desinamus. Quid enim dissimulemus aetatis nostrae vitium, et non potius ingenue confiteamur, omnia hodie contemni, despici ac paene pro nihilo putari, quae majorum temporibus in summo honore erant, ac revera jam nihil sanctum haberi: neglectam jacere religionem, deserui aedes sacras, scilicet tot ac tantis nostri homines negotiis obruti sudant, ut adeo diebus sacris divino cultui destinatis nullum sit iis vacuum tempus et liberum ad frequentandas conciones sacras. Quid igitur mirum, si neglecta religione negliguntur eae virtutes, quibus potissimum majores excellebant, fides in promissis et jurejurando, observatio juris et legum, reverentia erga reges et magistratus, obsequium erga parentes et magistros, amor in patriam omninoque simplicitas morum, vitae castitas, integritas, sanctimonia. Quippe regina hoc tem-

porē est et moderatrix omnium pecunia, „virtus post nummos, quaerenda pecunia primum est;“ dat census auctoritatem, honores, pulchritudinem, immo sapientiam. Ad hoc consumitur omne studium in voluptatibus capiendis, sibi solis homines indulgent et corpori deserviunt, et omnia quae expetunt in vita, quaeque fugiunt, ex utilitate tantum metiuntur ponderantque voluptatibus et doloribus. Regere gestiunt omnes, obedire vult nemo, infinitae libertatis, vel, ut verum dicam, licentiae cupiditas blanditiis suis ita corrumpit animos, ut rerum natura fere vertatur, utque in nostrae aetatis hominibus dici possit, quod in hominibus effrenatae licentiae avidis cum Platone Cicero in libro I. de republica 6): „adolescentes ut senum sibi pondus assument, mulieres ut eodem velint esse jure quo viri, parentes ut obediant filiis, magistri ut metuant discipulos, cives ut imperent magistratibus;“ quam rerum omnium conversionem perturbationemque Emancipationis vocabulo nuncupant aequales nostri, honesto illo quidem apud veteres, sed cujus vim et potestatem deflectunt nostri homines in significationem longe aliam, inque rationes plane contrarias: „ex quo nimio voluptatum studio, effrenataque licentiae cupiditate id efficitur, ut fastidiosae, molles, effeminataeque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant.“

At vero si dixerit quispiam: calumniaris ingenium seculi; etsi enim facile quidem tibi damus, libenterque concedimus, nonnulla inesse vitia in nostrae memoriae hominibus, quibus majores non erant contaminati, tamen nostra aetas splendet virtutibus, quas frustra requiras apud majores 7), „neque omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.“ Quanta est enim nostrae aetatis officiosa comitas, quanta morum urbanitas, quanta humanitas, quanta denique ingeniorum cultura, quanti in omnibus disciplinis progressus; quantus tribuitur honor artificibus, musicis, pictoribus, histrionibus, quantopere vigent ac florent literae et artes, quantopere praestant homines nostri ea, quam tu maxime desideras virtutem, pietate in viros de patria, de literis et artibus, de religione optime meritos. Nam puto tibi esse notum, fere ubique in Germania collocata esse et adhuc collocari monumenta, ut liberatori Germaniae Arminio, Luthero, Gustavo Adolpho, Gutenbergo, Schillero, Goethio, innumerabilibus aliis, quos omnes enumerare longum est, ut fere nulla urbs, nullum mox reperiatur in Germania oppidulum, ubi non sit aliquid monumenti. Quid igitur tibi vis? qui audeas hunc aetatis nostrae splendorem maculis adspargere?

Haec et talia si quis objecerit: Vero mihi, respondebo non haesitans, sunt notissima, neque nostri temporis pietatem, quae prodit in ponendis monumentis, nego esse in nonnullis veram et solidam, at eandem ego in pluribus deprehenderim falsam et fucatam, ex animi morumque mollitie quadam et luxuriae cupiditate profectam, cum religione et re-

bus divinis minime copulatam, qua exercenda plerique student non tam virorum optime de patria omninoque de genere humano meritorum gloriam augere eorumque conservare memoriam aliqui perituram, sed quam alii prae se ferunt suas ipsorum laudes respicientes, quamque alii, quia sic nunc mos est, studiose amplectuntur.

Sed ne nimis vobis videar iniquus ac morosus seculi nostri censor, neve obcoecatus acti temporis laudator esse, qui majorum mores, instituta, vitam nescio quo modo pleniore ore celebrem, et nostris illa proponam, libenter per me licet transferri in aetatem nostram illud Taciti:

„non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non et bona exempla prodiderit 8).“ Ac ne longius oratio mea excurrat et vagetur, neve quis Vestrum me putet aut plane ignorare aut nolle commemorare, quod utrumque sit turpe mihi, quanta urbis cives nostrae et excelluerint pietate hodieque excellent, in his solis commemorandis acquiescam, potissimum autem in illis, qui egregia in scholam pietate sempiternam sui memoriam in animis nostris reliquerunt. Praeter hos enim de schola meritos inter cives nostros inventi sunt per sane multi viri, qui paupertate oppressis, morbo afflictis praeclara benignitatis suae et liberalitatis testimonia dederunt; fuerunt multi inter cives nostros, qui senibus decrepitis asylum quo confugerent aperuerunt; fuerunt plures, qui famularum fidem et constantiam in familias largo quotannis distribuendo praemio ornatam esse voluerunt 9). Hos tamen omnes enumerare, qui beneficiis maximis obstrinxerunt civitatem nostram, etsi eorum quemquam praeteriri paene scelus appellari possit, neque hujus loci est, neque hujus temporis, verum hos ita praetereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. Nunc ad eam partem orationis, ex qua egressi sumus, revertamur.

Jam vero tanquam bonum omen accipiendum esse nobis visum est, eorum, qui beneficiis et liberalitate nostram scholam amplificaverint, agmen ducere Catharinam, illustrissimam illam feminam, fortissimi ducis sororem maxime piam, bellicosissimi principis uxorem benignissimam 10). Ita enim constitutum est a natura, ut plurimum valeat in hominibus imitatio aemulatioque, ut plerique ducantur trahanturque exemplis aut bonis aut malis, quorum dici vix potest quanta sit vis ac potestas in hominum animis. Validior quam poena ex legibus ac metus aemulandi est amor, imitandi est studium, atque ubi adeo Principes praeclara virtutis exempla imitanda proponunt, tunc nescio quod certamen honestum, quae splendida aemulatio inter ceteros cives solet existere virtutis et meritorum, ut iisdem, quibus Principes, virtutibus excellere concupiscant. Quare Tua, Catharina, liberalitas egregia, in quam intuentes in eaque defixi cives nostri eandem virtutem beneficiis exprimere voluerunt, quasi seminarium beneficiorum ad nos delatorum appellari debet.

Nam hoc signo pietatis per Catharinam munificentissimam elato non defuerunt alii Serenissimae domus Schwarzburgicae Principes, qui beneficiorum in scholas semina spargerent, unde uberrimae et laetissimae segetes provenerunt. Principes Serenissimi: Guilielmus 11), Carolus 12), quorum hic nobis nuperrime morte est ereptus, maximis in scholas beneficiis sui monumentum aere perennius in animis nostris condiderunt. Inter omnes autem splendet „velut inter ignes luna minores“ beneficiorum liberalitate maximorum Princeps noster Serenissimus, Dominus Clementissimus, cujus munificentia in scholas laudibus extollenda, quum illa non solum cuique Vestrum ante oculos versetur, sed per totam Germaniam sit pervulgata et notissima, supersedere possum, praesertim quum, quae in eo inest liberalitas, conjuncta sit cum tanta verecundia, ut liberalitatem in factis positam, non in vana gloria judicet, et munificentissimum se esse malit, quam laudibus efferri, ac nullum theatrum virtutis conscientia majus esse censeat. Cum Principe autem Serenissimo certant beneficiis ad scholas delatis ac deferendis Serenissima Mater, Serenissima Conjux, atque ita certant, ut uter utri palmam eripiat, atque ex honesto certamine superior discedat, haud facile sit dijudicatu.

Haec splendida Serenissimorum Principum e Celsissima gente Schwarzburgica ortorum pietatis exempla id effecerunt, ut certatim concurrerent et magistratus et privati homines, qui haec signa sequi pietatis et beneficia maxima in civitatem nostram conferre vellent.

Circumspicite, quaeso, et admiremini aedificium illud, in usum puerorum puellarumque scholam frequentantium ita exstructum 13), ut non solum, quem finem in eo aedificando sibi proposuerant cives nostri, eum consecuti sint, sed illud ornamento etiam sit urbi nostrae splendidissimo. Ingentibus pro aerario urbano sumtibus exstructum est, qui sumtus tantum aberat ut impedimento essent et languerent Magistratus Spectatissimi studium, ut acuerent incitarentque majores civium animos ad ea perficienda, quae probe scirent non sine gravi se perfecturos esse cura et sollicitudine, pro aeris alieni gravissimo onere suscipienda, quaeque tranquillitatis suae et quietis jactura se redempturos esse bene intelligerent. Sed quo difficilius eo praeclarius. Atque non possum, quin debitas Vobis, Viri Amplissimi, Spectatissimi, gratias hodie publice agam pro summo studio, summa cura, summa denique liberalitate, quam in condenda schola praebuistis, quo praeclarum edidistis documentum, Vos communi aequalium vitio ac labe non affectos esse, qua qui laborant non nisi eas res alere, fovere et adjuvare volunt, ex quibus uberrimos rerum externarum fructus se percepturos esse sperant, sed eisdem Vos, quae vestra est elatio magnitudoque animi, etiam in iis elaborare, quae scitis nihil praesentis praemii, nihil pretii habere, quo frui possitis hoc ipso temporis puncto, tuentes atque observantes illud prisci cujusdam poetæ: „Seritis arbores, quae alteri seculo prosint.“

Jam vero cujus terrae Principes Celsissimi, cujus civitatis Magistratus Spectatissimi tot, tanta, tamque magnifica pietatis exempla posteris imitanda proposuerunt, hujus terrae cives, hujus civitatis privatos homines eadem et secutos esse et etiamnum sequi vestigia, quid mirum videri potest?

Exstant in annalibus nostris memoriae tradita nomina plurimorum civium, egregia pietate et beneficiis ad scholas delatis maxime insignium 14). Inde a Leone Pacmore usque ad Beckium, virum Excellentissimum, cujus hodie liberalitatem celebramus, quantus numerus, quanta virorum mulierumque caterva, ut omnia eorum in nobis collocata beneficia enumerandi tempus nos deficiat.

Recolamus tamen grata animi recordatione nomina 15): Kiliani, Breithaupti, Bachofi, Felderae, Gerhardi, Meinhardti, Höpfneri, Rottenbachi, Faberae, Thali, Zangi, Eichlingi, Baumgarteni, Reisiae, Saueri, Treiberi, Brodkorbiae, Pansnerae, Franki, Grabiae, Baumann, Robsti, Quenseli. Horum nominibus tot virorum mulierumque commemoratis redeat oratio nostra ad virum illum generosissimum, a quo commemorando exorsa est. Te, Becki, Tuam in patriam pietatem laudibus exornarem amplissimis, modo id possem, ac si possem, modo id per Te liceret. Etenim Tu ipse, quum sis remotissimus ab omni virtutis jactantia et ostentatione, de Tuis virtutibus loqui vetuisti literis ad virum vetustate amicitiae Tecum conjunctissimum missis, quas hic mecum benignissime communicaverat 16). Contra ejus nomen Imperatoris, cui Tu plurima et maxima beneficia debere Te gratissimo animo profiteris, commemorando renovare per Te jussi sumus; idque quotannis ut fieret, vicesimo quarto die mensis Decembris, quem diem illius Imperatoris natalem, si adhuc in vivis esset, acturae essent gentes nationesque innumerae, ipsis verbis in tabula publica constituisti 17).

Est autem Alexander I. ille, Russorum Imperator Augustus, Celsissimus, qui amplissimis honoribus auxerat atque in excelso imperii sui administrandi loco posuerat Beckium, clarissimum civem nostrum, quem hujus scholae disciplina institutum atque eruditum esse elatis animis gloriamur. Haec est enim natura hominum, ut, si quem vel propinquum, vel civem apud alios ornatum honoribus videant, hujus honore semetipsos ornari, hujusque augeri dignitate arbitrentur.

Repetamus igitur grata recordatione ex voto Becki maxime pio memoriam Alexandri illius, qui, quum innumeris formidolosi hostis legionibus fortiter se objecisset, earumque impetus constanter sustinisset, hoste illo superbienti fracto proeliis, fame, morbis, frigoribus, nivibus, a numine irato coelitus demissis, ut poetae illud:

„Discite justitiam moniti et non temnere divos“
et reges et populi admonerentur, qui Alexander, inquam, libertatis spem in Germaniae po-

pulis vel dulcibus blanditiis sopitam vel turpi servitio oppressam ac paene emortuam de-
nuo excitavit, ut, qui populi vix scintillam amoris erga patriae libertatem in animis con-
servasse viderentur, iidem repente universi arderent, quasi „turbine coelesti subito cor-
repti et igni,“ ut Gallorum legiones tam diu victrices, quum impetum Germaniae po-
pulorum acerrimum sustinere non amplius possent, fusae fugataeque, desertis patriae no-
strae finibus, in ipsorum etiam terra a nostris profligarentur et ad internecionem usque
delerentur. Quo factum est, ut sacrum illud bellum, pro libertate patriae a nostratibus
feliciter gestum, commemorari nequeat, quin una nomen laudesque illustres Alexandri
illius adjungantur. Quibus in patriam nostram meritis ejus amplissimis si addere et co-
piosius loqui vellemus reliquas ejus virtutes et praestantias, ut animi integritatem, inge-
nii eruditionem, pietatem erga deum, patriam, parentes, comitatem et facilitatem, man-
suetudinem et clementiam, tempus nos potius deficeret quam materia.

Jam ad vos tandem me converto, discipuli dilectissimi, ad Te, Eichfeldti, ad Te,
Kersti. Dignos vos judicant Viri Amplissimi, quorum curae ac velut tutelae creditum
est hoc beneficium 18), ut praemio afficiamini, quod non minus studiorum assiduitati quam
morum integritati propositum esse voluit auctor benignissimus. Haec tamen mea verba
nolim sic a vobis accipi, tanquam vos omnia jam assecutos esse credam, quae sint in di-
scipulo perfecto omnibusque numeris absoluto requirenda, id potius agatis, inque eo labo-
retis, ut vestrum in perdiscendis literis studium, vestram curam et assiduitatem non so-
lum retineatis, sed etiam augeatis, morumque integritatem non solum conservetis, sed etiam
perficiatis. Reperiuntur inter vestros commilitones, qui aequae ac vos mereant, ut ornen-
tur hoc largissimo munere, sed non tales sunt, quorum fortunis succurrendum sit benigni-
tate ac munificentia. Quam ob rem vos adhortor, ut quam pietatem illustrissimi civis no-
stri praeclaro exemplo expressam cernitis, eandem in animis vestris insculptam habeatis,
et vestra vita, vestris moribus imitari et consequi studeatis. Licet enim contingat hominibus
perpaucis, ut tantos honores consequantur, quantis hic vix egregius est ornatus; licet pauci
tantum homines a se orti, per se nixi, nulla commendatione majorum adjuti, in tam ex-
celsum dignitatis gradum adscendant, in quo Beckium, virum maxime illustrem, colloca-
tum conspiciamus: tamen pietatem in scholam varia ratione et via declarandi vobis erit fa-
cultas. Ita est enim a Deo sapientissimo institutum, ut multi pateant hujus virtutis cur-
sus, ut adscensus sint in hac virtute multi. Qui vero sint, alio forsitan tempore vos do-
cendi mihi data erit occasio, quum hic locus contineat dicendi materiam tam infinitam,
ut si attingere modo, nedum uberius et copiosius eum tractare vellem, verendum esset, ne
Vos, Viri Amplissimi, Spectabiles, quorum jam nimis moror diu patientiam, fastidio quo-
dam et satietate a nobis abalienarem, neve Vos, quamvis lenes natura, stomachari inciperetis,

Illud unum Vestra mihi dabit indulgentia, ut gratias publice agam debitas Viro Illustrissimo, Excellentissimo, Domino de Ziegeler 19), qui non solum, quo tempore administrandae reipublicae praeerat, intimi consiliarii munere praeditus, cum omnes reipublicae partes, tum scholas adjuvabat auctoritate, consilio, prudentia, sed etiam hoc tempore honestum senectutis non inertis otium ad augendam civium salutem conferre solet, cuiusque indefesso studio, labore, opera id nobis contigit, ut gymnasium nostrum hoc ipso anno, hoc ipso die percipere possit hujus beneficii ad nos delati fructus uberrimos.

Restat denique, ut pias preces fundamus pro salute atque incolumitate Becki, Viri Illustrissimi, Benignissimi. Augeas eum Deus, Optime, Maxime; serves eum ad ultimos vitae humanae annos. Serus ad Te redeat in coelum, ac diu laetus intersit familiae suae, quam tueare velis, ut vigeat, floreat, crescat in perpetuum. Ejus nomen, ejus memoria sicut apud nos, ita apud seros nepotes gratissimo animo celebrabitur aeternaque in laude versabitur.

A n n o t a t i o n e s .

1) Prof. Baerwinkel, collega carissimus, diem obierat supremum funesta febris correptus d. 25. mens. Octobr. anni 1842, natus erat Arnst. d. 25. mens. Novbr. 1802.

2) Hic vir Excellentissimus est Henr. Christian. Sam. de Beck a consiliis secretis Imperatoris Russiæ, natus Arnstadt. mense mart. anni 1768, parentibus non fortunatis quidem, sed honestis; receptus est in scholæ nostræ class. VI. post examen vern. 1774; præceptores habuit Simrothium, Stoltzium, Schneiderum, Oclerum, Heinemannum, Frankium, Törnbergium, Lindnerum; abiit classe I., quam per quinque annos frequentaverat, post exam. vern. 1788 in academiam Jenensem, theologicis disciplinis operam daturus. — Quum nuperrime mense Octobr. hujus anni patriam urbem reviseret, gymnasium nostrum largæ pecuniæ summa amplificavit munificentissime, cujus usuras quotannis distribui jubet hoc modo. Ipsa verba e tabula publica petita apponam: „Von dem Fonds der zum Besten des hiesigen Gymnasiums von Sr. Excellenz dem Herrn Geheimerath von Beck zu St. Petersburg unter dem 5. Octbr. 1843 gemachten und unter dem 8. November ejusd. a. von Serenissimo bestätigten Stiftung ist folgender Gebrauch zu machen: A) Jährlich am 24. Decbr., als dem heiligen Abend vor dem Weihnachtsfeste, welcher Tag als Geburtstag des unvergesslichen Kaisers Alexander, und zugleich in ganz Russland zum Andenken an die völlige Vertreibung der Franzosen aus den Gränzen des russischen Reichs gefeiert wird, und der als Anfang der Befreiung von ihrem Joche anzusehen ist, hält der Reihe nach einer von den vier obern, bei dem Gymnasium in Arnstadt angestellten Lehrern eine öffentliche Schulrede. In derselben soll auf die Bedeutung dieses Tages, die Wohlthaten des Friedens und das Wünschenswerthe eines Verhältnisses der Liebe und des Vertrauens, welches zwischen einem gottesfürchtigen und gerechten Regenten und seinen Unterthanen Statt findet, vorzüglich aber auf die leuchtenden Verdienste und das musterhafte Beispiel des wahrhaft edlen Kaisers Alexander aufmerksam gemacht werden. Der Lehrer, welcher diese Rede hält, empfängt dafür zwei Dukaten. — B) An zwei das Gymnasium in Arnstadt besuchende Schüler, welche aus Arnstadt oder wenigstens der Oberherrschaft gebürtig sein müssen, und sich durch Talente, Fleiss und Sittlichkeit ebenso auszeichnen, als sie eine Unterstützung bedürfen, sollen an demselben Tage jährlich vier und zwanzig Thaler in preuss. Cour. zu gleichen Theilen verabreicht werden.“

3) Quatuor quotannis ejusmodi orationes habentur diebus, quibus propter nundinas feriae habentur.

4) cf. Doederlein, Synonym. Tom. IV., 103.; VI., 268. — De pietate meletema scripsit Jo. Gottlieb Lindner. Arnst. 1794. 4. Rector quondam nostri gymnasii, vir doctrina, docendi dextérité, moribus maxime egregius, cujus disciplinae plurima se debere grato animo profitetur Vir Excellentissimus de Beck.

- 5) cf. Cicer. de legg. II., 8., 19.; II., 10., 24.; II., 11., 28.; de n. d. I., §. 116.
 6) Plat. de rep. VIII., p. 562.; Cicer. de republ. I., 43.
 7) Haec verba Taciti leguntur ann. III., 55.
 8) Tacit. hist. I., 3.
 9) De valetudinario, per Quenselium virum spectatissimum condito, de xenodochio St. Georgi, de orbis et alendis et sustentandis etc. vide quae magna cum cura conguessit Hatham in libello: „Arnstadt nach seinen gegenwärtigen Verhältnissen u. s. w.“ Sondersh. 1841. p. 223 sqq.

10) Catharina, uxor Güntheri Bellicosii, Comitis de Schwarzburg, soror Guilielmi Arausio-nensis (Wilh. v. Oranien), qui acerrimus Hispani nominis hostis VI. id. Julius 1584 ex insidiis a Baltasaro Gerardo sicario interfectus est. Thuan. in hist. sui temp. lib. LXXIX. pag. 923. edit. Francf. 1614. 8. Tom. III. „quum vacillaret (Guilielmus, tribus glandibus disloso sclopeto vulneratus) in gradu proximo jam voce amissa a famulis collocatur, et Catharina sorore, Schwarzenburgici comitis uxore, quae aderat, instante, ut ipse animam deo commendaret, ille annuit, et statim in conclave, ubi pransus fuerat, relatus lectoque impositus vitam finivit.“ — Catharina obiit vidua anno 1616. De maximis ejus beneficiis vid. Hatham l. l. p. 25.

11) Princeps Serenissimus Guilielmus † d. 19. Mart. 1762 mille imperiales legavit scholae praeceptoribus. vid. Jo. Andr. Robst. progr. anni 1763. Arnst. 4. et Hoshki, collegae conjunctissimi libellum: „die Einweihungsfeier des neuen Bürgerschulhauses zu Arnstadt den 18. März 1842. Arnst. 1842. pag. 60.“

12) Princeps Sereniss. Carolus obiit d. 16. Novbr. 1842 in praedio suo Otterwisch, prope Grimmam in Saxonia sito. Mille imperiales donavit, quorum usuris ludimagistri in agris constituti studio, assiduitate, dexteritate excellentes ornentur.

13) cf. Hoshki libellum supra laudatum.

14) cf. Ehrendenkmal den Wohlthätern unserer Schule ind. verfloss. XVIII. Jahrh. errichtet von Lindner, Direct. Arnst. 1801. 4. — b) Derselbe: Das Andenken der Etchlingschen und Sauersch. milden Stiftungen. Arnst. 1772. 4. — c) Jo. Frieder. Treiber de stipendiis et speciatim de Etzdorfiano et Thaliano. Arnst. 1704. — d) Stipendium Nasso-Schwarzburgense, das ist Arnstädt. Schultrost etc., carmen germanicum, quo praedicatur Catharinae munificentia; prodiit Arnst. 1617, denuo 1689. auctor est Quirinus Heseling, de quo Robst, Director scholae, haec refert in progr. 1764. 4. „Von den Belohnungen der Schullehrer.“ Er war aus Kahla gebürtig, hier bei der Schule 1571 Subconrector und Cantor, wurde hernach Cämmerer, darauf Stadtschreiber. — e) Jo. Fried. Treiber in Oratione comparante corpus humanum cum Lyceo Schwarzb. Provinciali Arnstadt. 1709. haec scribit: „Juxta Serenissimoſ nostros Principes reperti sunt et alii, qui legata non omnino spernenda scripserunt ecclesiae et scholae nostrae. Laudandi videlicet Nobilis de Margarethen, Nobilis a Thünau, Nobilis ab Entzenberg, Nobilis a Griesheim, Nobilis a Zersen, Nobilis a Schwarzenfels et Beata de Griesheim. Laudandi etiam sunt Doctor Christoph. Rauchius; Camerarius Rottenbachius; uxor prior Jacobi Menzingi; heredes Faschiani et Frobenii; uxor et virgo Barbara Glassia. — Comes Eleonora Catharina, quae stipendium novum legavit studiosis egenis; Bonaventura Hoepfnerus, polygraphus olim; Anna Dorothea Bachovia, Dr. Jo. Frid. Förster; Camerarius Jo. Grossius,

Doctoris Untzeri uxor, Anna Wendelia, Jo. Gunth. Förster, heredes Walschlebiani, Nicol. Leonh. Schneider, Elisabeth. Domrichia.


15) cf. Hoschki libell. s. l.

16) Meinhardtus, vir amplissimus, consul hujus urbis spectatissimus, de civitate Arnstadt. meritissimus.


17) vid. supra annot. 2.

18) Tribus viri scommissa est tutela Beneficii Alexandrini: Schoenemanno, viro illustri, Regiminis in terra Schwarzburgico-Sondershusana superiore Praesidi; Schleichardto, viro summe venerando, sacri senatus Arnstadt. Praesidi, et Meinhardtto, de quo vid. annot. 16.

19) Vir Illustrissimus Excellentissimus Gunth. Henr. Otto Christian. de Ziegeler, Arnstadt. illustri ortus genere mens. Decembri 1775. Post examen auctumnale in III. class. scholae nostrae receptus in gymnas. illustre Gothanum abiit post exam. auct. 1792, quum per duos annos et sex menses primam nostrae schol. classsem frequentavisset. Summis ejus in patriam urbem, in rempublicam nostram meritis, quum sint inter cives pervulgata, facile supersedere possum. Excellentissimi Viri animus is est, ut Sallusti consilium fecerit suum: „Ubi animus ex multis laboribus requievit, et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium sœcordia atque desidïa bonum otium contere.“



Doctori
der, El
15)
16)
17)
18)
terra S
senatus
19)
ortus g
nas. illi
schol. e
inter ci
fecerit
bendam



l. Förster, heredes Walschlebiani, Nieol. Leonh. Schnei-

ajus urbis spectatissimus, de civitate Arnstadt. meritissimus.

Alexandrini: Schoenemanno, viro illustri, Regiminis in
raesidi; Schleichardto, viro summe venerando, sacri
quo vid. annot. 16.

. Henr. Otto Christian. de Ziegeler, Arnstadt. illustri
uctumnale in III. class. scholae nostrae receptus in gym-
?, quum per duos annos et sex menses primam nostrae
triam urbem, in rempublicam nostram meritis, quum sint
Excellentissimi Viri animus is est, ut Sallusti consilium
nievit, et mihi reliquam aetatem a re publica procul ha-
desidia bonum otium contere."